



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Articvlvs X. Vtrum vnio duarum naturarum in Christo sit facta per gratiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

Vtrum vnio duarum naturarum in Christo sit facta per gratiam.

AD decimum sic proceditur. Videtur, quod vnio Incarnationis non sit facta per gratiam. Gratia enim est accidens quoddam: vt in secunda parte habitum est. Sed humane nature vnio ad diuinam, non est facta per accidens, vt supra ostensum est. Ergo videtur, quod vnio Incarnationis non sit facta per gratiam.

Præterea: Gratia subiectum est anima. Sed sicut dicitur Coloss. 2. in Christo habitauit plenitudo diuinitatis corporaliter: ergo videtur, quod illa vnio non sit facta per gratiam.

Præterea: Quilibet Sanctus Deo vnitur per gratiam. Si igitur vnio Incarnationis fuit per gratiam, videtur, quod non aliter dicatur Christus esse Deus, quam alij Sancti homines.

Sed contra est, quod August. dicit in lib. 2. de Prædest. Sactorum: Ea gratia sit ab initio fidei sue homo quicunque Christianus, quia gratia homo ille ab initio suo factus est Christus. Sed homo ille factus est Christus per vnionem ad diuinam naturam. Ergo vnio illa fuit per gratiam.

Respondendo dicendum, quod sicut in secunda parte dictum est gratia dupliciter dicitur. Vno modo voluntas Dei gratis aliquid dantis. Alio modo ipsum gratuitum donum Dei. Indiget autem humana natura gratuita Dei voluntate ad hoc, quod eleuetur in Deum, cum hoc sit supra facultatem sue nature. Eleuetur autem humana natura in Deum dupliciter. Vno modo per operationem, qua scilicet Sancti cognoscunt, & amant Deum. Alio modo per esse personale. Qui quidem modus est singularis Christo: in quo humana natura assumpta est ad hoc, quod sit persona Filij Dei. Manifestum est autem, quod ad perfectionem operationis requiritur, quod potentia sit perfecta per habitum, sed quod natura habeat esse in supposito suo, non sit mediante aliquo habitu.

Sic ergo dicendum est, quod si gratia accipitur ipsa Dei voluntas gratis aliquid faciens, vel gratum seu acceptum aliquem habens vnio Incarnationis facta est per gratiam: sicut, & vnio Sanctorum ad Deum per cognitionem, & amorem. Si vero gratia dicatur ipsum gratuitum Dei donum, sic ipsum quod est, humanam naturam esse vnitam persone diuina, potest dici quadam gratia, inquantum nullis precedentibus meritis hoc est factum, non autem ita, quod sit aliqua gratia habitualis, qua mediante talis vnio fiat.

Ad primum ergo dicendum, quod gratia, qua est accidens, est quadam similitudo diuinitatis participata in homine. Per Incarnationem autem humana natura non dicitur participasse similitudinem aliquam diuine nature, sed dicitur esse coniuncta ipsi diuine nature in persona Filij. Maius autem est ipsa res, quam similitudo eius participata.

Ad secundum dicendum, quod gratia habitualis est solum in anima. Sed gratia, id est gratuitum Dei donum, quod est vniri diuine persone, pertinet ad totam naturam humanam, qua componitur ex anima, & corpore. Et per hunc modum dicitur plenitudo diuinitatis in Christo corporaliter habuisse: quia est vnita diuina natura non solum anima, sed etiam corpori. Quamuis etiam possit dici, quod dicitur habitasse in Christo corporaliter, id est non vmbrales, sicut habitauit in sacramento veteris legis, de quibus ibidem subditur, quod sunt vmbra futurorum, corpus autem est Christus: prout scilicet corpus contra vmbra diuiditur. Dicunt etiam quidam, quod diuinitas dicitur in Christo habitasse corporaliter, id est tribus modis: sicut

A corpus habet tres dimensiones. Vno modo, per essentiam, presentiam, & potentiam: sicut in ceteris creaturis. Alio modo per gratiam gratum facientem: sicut in Sanctis. Tertio, per vnionem personalem: quod est proprium sibi.

Vnde patet responsio ad tertium: quia scilicet vnio Incarnationis non est facta solum per gratiam habitualem, sicut alij Sancti vniantur Deo, sed secundum subsistentiam, sine personam.

Sensus quaestio.

IN hoc quaesito solum nomen gratie ambiguum est, cuius significatio triplex declaratur in textu: Sumendum igitur est in titulo nomen **B** gratie, prout analogicam habet indifferentiam ad gratuitam Dei voluntatem, ad gratiam habitualement, & ad esse personale gratis humane nature communicatum.

Forma Textus.

PRÆMISSA distinctione respondetur quaesito tribus Conclusionibus.

Distinctio est: gratia dupliciter dicitur: Vno modo ipsa voluntas Dei gratis aliquid dantis: alio modo ipsum gratuitum donum Dei, quod dupliciter sumitur scilicet pro gratia habituali; & pro quocunque dono gratis concessio, quale in proposito est esse personale quod humane nature communicatur.

PRIMA CONCL. est: Si gratia accipitur ipsa Dei voluntas gratis aliquid faciens vel gratum seu acceptum aliquem habens, vnio Incarnationis facta est per gratiam: sicut & vnio Sanctorum ad Deum per cognitionem, & amorem probatur: Quoniam indiget humana natura gratuita Dei voluntate ad hoc, vt eleuetur in Deum, siue per esse personale siue per operationem; ergo. Probatur antecedens: quia hæc est supra facultatem sue nature.

SECUNDA CONCL. Si gratia accipitur pro gratuito Dei dono, quod est gratia habitualis, vnio duarum naturarum in Christo, non est facta per gratiam; vnio vero Sanctorum ad Deum per operationem est facta per gratiam. Probatur; quia ad perfectionem operationis requiritur, quod potentia sit perfecta per habitum; sed quod natura habeat esse in supposito, non sit mediante aliquo habitu: at vnio Sanctorum fit per hoc, quod eleuetur in eis humana natura in Deum per operationem; qua scilicet Sancti cognoscunt, & amant Deum: vnio vero duarum naturarum in Christo facta est per hoc, quod humana natura assumpta est ad hoc, vt fit in persona filij Dei; ergo sumendo gratiam pro eo gratuito Dei dono, quod est gratia habitualis, vnio duarum naturarum in Christo non est facta per gratiam.

TERTIA CONCL. Si gratia dicatur ipsum gratuitum Dei donum, hoc ipsum, quod est humanam naturam esse vnitam persone diuina, potest dici quadam gratia. Probatur; quia hoc factum est nullis precedentibus meritis.

Expositio Textus.

DISTINCTIONEM D. Th. cum singulis eius membris explicat optime Cai. Hanc autem distinctionem esse sufficientem, vt instituto deferuiat, ex eo patet quod duobus modis gratia dicitur: Vno modo effectiue, & sic voluntas Dei gratis aliquid dantis aut faciens dicitur gratia: alio modo formaliter scilicet pro gratuito Dei dono, & hæc duplex est; nam quadam est gratia formaliter dicta; quæ ita donum est Dei gratuitum, vt

fit dispositio vel medium forma quo habetur alterum Dei donum; licet autem Dei gratuitam dispositio est ad gratiam gratum facientem, & hęc ad gloriam & lumen glorie dispositio est & medium, quo diuina essentia vnitur intellectui Beatorum & sub quo videtur: Quaedam verò ita gratia est formaliter dicta, id est donum Dei gratuitum, vt non sit medium neque dispositio ad aliud donum; quia habet rationem præcipui & vltimi doni, ad quod alia dona siue sint præcedentia siue consequentia, ordinantur; sicut vnio perfecta diuina essentia cum anima beata donum Dei gratuitum est, ad quod ordinantur alia dona, & in proposito vnio diuinae personae cum humana natura Dei donum est, ad quod alia dona vnionem hanc consequentia ordinantur. Et ex his patet tam sufficientia diuisionis, quam veritas & ratio singularum conclusionum D. Th. nec maiori hæc indigent explicatione.

Prænam concl. declarant Medina, Suarez & Vasq.

Sensum & probationem secundæ concl. explicat Cai. Suar. autem *disp. 10. sect. 2.* disputat de veritate conclusionis. Nos Contro. hæc ad proprium eius locum remittimus scilicet ad sextum art. 9. 6.

Tertiam verò concl. explicat Cai. Med. Suar. in Com. & Vasq. in Notationibus. Sed cauendum est à Suar. qui nomen vnionis in tertia conclusione interpretatur de modo substantiali, quem supra constituit in humana Christi natura; sed eius vanitatem iam supra demonstrauimus.

Responsionem ad primum argum. explicant Cai. Med. & Suar. qui etiam declarat responsionem ad secundum. Responsionem autem ad tertium, explicat Vasq. & ante eum Porrecta. Querit Suar. *disp. 10. sect. 1.* quæ sit vel esse possit causa efficiens huius mysterij? quem lege, si placet.

ARTICVLVS XI.

Vtrum vnio Verbi Incarnati aliqua merita præcesserint.

AD vndecimū sic proceditur. Videtur, quod vnio Incarnationis fuerit aliqua merita subsequuta. Quia super illud Psalmi, Fiat misericordia tua super nos, quemadmodum, &c. dicit gloss. Hic insinuat desiderium Prophetæ de Incarnatione, & meritum impletionis. Ergo Incarnatio cadit sub merito.

Præterea: Quicumque meretur aliquid, meretur illud, sine quo illud, haberi non potest. Sed antiqui Patres merebantur vitam eternam, ad quam peruenire non poterant, nisi per Incarnationem. Dicit enim Greg. in lib. 13. mor. Hi, qui ante Christi aduentum in hunc mundum venerunt, quamlibet iustitie virtutem haberent, ex corporibus educti, in sinum caelestis patriæ statim recipi nullo modo poterant: quia nondum ille venerat, qui iustorum animas in per sua sede collocaret. Ergo videtur, quod meruerint Incarnationem.

Præterea: De Beata Virgine cantatur, quod Dominum omnium meruit portare. Quod quidem factum est per Incarnationem. Ergo Incarnatio cadit sub merito.

Sed contra est, quod August. dicit in lib. de Prædest. Sancti. Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis inuenit, ipse in nobis præcedentia merita multiplicata regenerationis inquirat.

A Sed nulla merita præcesserunt regenerationem nostram: secundum illud Tim. 3. Non ex operibus iustitia, qua fecimus nos, sed secundum am misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. Ergo nec lam Christi generationem aliqua merita præcesserunt.

Respondet dicendum, quod quantum ad ipsum Christum, manifestum est ex præmissis, quod nulla eius merita potuerunt præcedere vnionem. Non enim ponimus, quod ante fuerit purus homo, & postea per meritum bona vita obtinuerit esse filius Dei, sicut posuit Photinus: sed ponimus, quod a principio suæ conceptionis ille homo verè fuerit filius Dei, vixit non habens aliam hypostasim, quam filij Dei: secundum illud Luc. 1. Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei. Et ideo omnis operatio illius hominis subsequuta est vnionem. Ergo nulla eius operatio potuit esse meritum vnionis.

Sed neque etiam opera alterius cuiuscunque hominis potuerunt esse meritoria huius vnionis ex condigno. Primum quidem: quia opera meritoria hominis proprie ordinantur ad beatitudinem, qua est virtutis præmiū, & consistit in plena Dei fruitione. Vnio autem Incarnationis, cum sit in esse personali, transcendit vnionem beatæ mentis ad Deum, quæ est per actum fruētis. Et ideo non potest cadere sub merito.

Secundo, quia gratia non potest cadere sub merito: quia est merendi principium. Vnde multo minus Incarnatio cadit sub merito, quia est principium Gratiæ: secundum illud Io. 1. Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.

Tertio, quia Incarnatio Christi est reformatiua totius humane nature. Et ideo non cadit sub merito alicuius hominis singularis: quia bonum alicuius puri hominis non potest esse causa boni totius nature.

Ex congruo tamen meruerunt sancti Patres Incarnationem, desiderando, & petendo: congruum enim erat, vt Deus exaudiret eos, qui ei obediebant, & per hoc patet responsio ad primum.

Ad secundum dicendum, quod hoc est falsum, quod sub merito cadit omne illud, sine quo præmiū esse non potest: quedam enim sunt, quæ non solum requiruntur ad præmiū, sed etiam præexiguntur ad meritum, sicut diuina bonitas & eius gratia, & ipsa hominis natura. Et similiter Incarnationis mysterium est principium merendi quia de plenitudine Christi omnes accipimus, vt dicitur Ioan. 1.

Ad tertium dicendum, quod beata Virgo dicitur meruisse portare Dominum omnium: non quia meruerit ipsum incarnari. Sed quia meruit ex gratia sibi data illum paritatis, & sanctitatis gradum, vt congruè posset esse mater Dei.

Ratio ordinis, & sensus quæsit.

RATIONEM ordinis huius articuli & sensum quæsit declarant optime Cai. & Suar. sumuntur autem hic merita absolute & indifferenter ad quæcunque genera meritorum, & in ordine ad quamcunque personam, siue ea sit Christus ipse, siue alius quilibet Sanctus: Verbum autem præcesserint, non durationis sed causæ moralis prioritatem significat.

Forma Textus.

PRIMA CONCL. nulla Christi merita potuerunt præcedere vnionem. Probatur, quia omnis operatio illius hominis, qui est Christus, subsequuta est vnionem; ergo nulla eius operatio potuit esse meritum vnionis. Consequentia est euidens. Antecedens verò probatur primo ex dis-